

5656
DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICO-PHILOSOPHICA

DE

CAUSSIS ATQUE INDICIIS QUIBUSDAM,
QUAE CIVITATUM IMPERIORUMQUE
RUINAM PRAEVERTERINT, EX HISTO-
RIA DEMONSTRANDIS,

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM IN UNIVERSITATE
LITERARUM CAESAREA DORPATENSI,

PRAESIDE ELECTO

D. GEORGIO FRIDERICO POESCHMANN,

AD IMP. RUSS. CONSILIIS AULICIS AC PROFESSORE HISTOR. P. O.

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA RITE CAPESSENDIS HONORIBUS

SCRIPSIT AC PUBLICE DEFENDIT


CAROLUS DANIELIS STEINMETZ

S. A. X. O.

DIE XIX. IUNII. MDCCCV.




PRODIIT IN OFFICINA MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.



*Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli
documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque rei publicae,
quod imitere, capias: inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitas.*

L i v i u s.



P a r s P r i o r.

§. 1.

CAUSSAS, quibus imperia labefactentur, exponere conanti, res gestae occurrunt, et gravia ante oculos versantur exempla. Quae olim floruerunt, amplissimae civitates periire; et nostra aetate maxima regna, aut iam eversa sunt, aut iamiam concussa ad occasum vergunt. Juvat inquirere, qua ratione tot validarum gentium opes sint fractae, quaeque indicia illarum ruinam anteiverint; quod quo accuratius fiat, primum de origine civitatum, historiae ratione habita, pauca praemonere apud me statui.

§. 2.

Civitates plerumque casu oriuntur, e naturali rerum nexu, necessitate singulos ad societatem ineundam cogente. Vir fortasse, ingenio ac viribus praestans, per silvas palantes populares in vicis colligit, suadens, ut conjungendo opes, res suas corroborent. Inde leges, quibus primum res publica constituitur, originem ducunt, quas latas fuisse accepimus ad coercendum malum maxime urgens; ideoque omnes primum ad tuendam vitam remque familiarem praecipue spectant ¹⁾.

1) Hoc satis apparet ex antiquissimis legum Collectionibus omnium fere gentium. Juvabit praeterea legisse, quae docte de hac re monuit Goguetius (Origine des Loix &c. 1, 2.)

§. 3.

Omnes ac singuli cives initio iure ac dignitate inter se pares fuere, postea vero summa rerum potiti sunt, qui virtute aut consilio inter caeteros eminebant. In concione res arbitrio illorum gesta, amplissimique honores in ipsos collati. Imperium legibus sancendum, heredibusque relinquendum curaverunt. Prodiit inde optimatum ordo, summos in civitate honores sibi vindicans, et legibus ferendis, singulorum utilitati potius, quam rei publicae prospiciens.

§. 4.

Ad stabiliendas hascine institutiones maxime fecisse videtur periculum a finitimis imminens. Ager devastatur ab hoste, civesque in servitute abducuntur. Conclamatur ad arma, comparatur exercitus. Duce opus est: eligitur qui maxime dignus iudicatur, fortissimus, promissimusque. Ad rem bene gerendam necesse est, ut dicto audientes sint, qui castra sequuntur. Civis imperium spernitur a civibus; ferenda itaque est lex, qua duci, haud optemperantes coercendi, copia fiat.

§. 5.

Suis auspiciis rem gerit dux; victor evadit. Patria ab hoste recuperata atque servata, miles, praeda locupletatus, bellicaeque virtutis insignibus conspicuus, domum redit. Laudibus efferri exercitus; gratiarum actiones, supplicationes decerni. Belli eventus, laudes, gloria, haec omnia potissimum ad ducem, quem, tamquam suae felicitatis auctorem, grato animo suspiciunt, vulgo referuntur. Praedae hinc maiori parte prae caeteris remuneratur, quippe qui plurimum ad salutem publicam restituendam attulisse putatur. Quoniam vero exercitui solus praeesse non potuit, quos habuit imperii ministros, horum fructuum partem ad se pertinere putant.

§. 6.

Rigidiori castrorum disciplinae, dux imperando, miles obediendo

adsuescitur; domumque reversus, uterque pro pristina consuetudine, mores castrenses foro immiscet. Victor imperator rem gerit in comitiis, uti antea gessit in castris, civium multitudine fretus, quos habuit gloriae ac periculorum socios. Domi rem publicam administrat; et dum divitias et honores in suis collocat, leges fert, quae suo simul commodo inservant. Bello nactas opes servare augereque satagens, bellum suadet. Ad arma concursat gens, pristinis victoriis elata. Finitimos adgreditur; agro hostium potitur. Bella e bellis seruntur. Multitudo ad rapinam propensa, lubenter signa sequitur. Bello adsueta, gens militiam pluris facit, quam vitam domesticam; quo fit, ut denique nil nisi armorum usum cive ingenio dignum autumet.

§. 7.

Militis est, se fortem ac strenuum dictoque audientem praestare, alacrumque esse ad exsequenda ducis incepta. Relaxatur ideo domestica disciplina in castris. Quid enim prodest morum probitas ad decertandum, quid ad bellum profligandum? Dummodo parerent milites, ipsis paulisper indulgere ex re visum est, quippe quibus pectus hostium telis obiciendum, et labor belli atrox suscipiendus esset. Data quiete, miles corpora exhausta, quam citissime, in stativis aut hibernis curat, prout libido quemque rapit sua. Urgente fato, vitae quod superest, in deliciis agere cupiens, quibuscunque potest voluptatibus praeceps se ingurgitat, firmatque animum bellator, mox in discrimine summo versaturus. Accedit, quod exercitus ex multitudine inculta, et iuventute acriori sibi parum temperante maxima ex parte conscribitur; quo fit, ut facilius mores depravationis contagione corripiantur.

§. 8.

In hostem saevire fas ducitur; oppida vi capta diripiuntur. Frigor tectorum, incendia, stupra, clamor mulierum, caedes inermium, haec et ejusmodi spectacula nec dissona auribus, nec foeda oculis videri

Ferocior ita redditus miles, omnia vi peragi, et tamquam in proeliis ferro decerni volt. Hostem trucidare, stragem vel commilitonum intueri consuetus, dum vitam parvi existimat, et domi, si qua dux, cui in castris obtemperaverat, opera sua uti velit, impiger procedit ad vim civibus inferendam.

§. 9.

Ita res gesta est apud populos, qui pecoribus alendis, aut agris colendis vitam sustentabant. Qui, quum metu finitimorum in id incumbere deberent, ut hostis a finibus repelleretur, bella e bellis serere solebant ²⁾. Quo factum est, ut cum gentis mores ferociores evaderent, tum bellica virtus nimis laudibus efferretur.

§. 10.

Alia vitae et rei publicae administrandae eorum est ratio, qui orae maritimae accolunt, atque e mari victum sibi parant; qui aut piscatorum, aut piratarum, aut mercatorum denique nomine veniunt ³⁾. Maris quidem accolae agros diligentius colere ⁴⁾, quaestibus artibusque promovendis summo opere navare, commercium vero plerumque his omnibus praeferre solent. Dum divitiis singuli prae caeteris eminent atque praepollent, statim crescit apud illos optimatum ordo. Minor quidem in civitate bellicae habetur virtuti honos, divitiis maxime aestimatis ⁵⁾: a bello gerendo tamen haud alienus est mercator, quippe qui, aucto imperio, commercium quoque augeri gestit. Arma ferre ipse re-

²⁾ Thucyd. Hist. Lib. I, 5, 6.

³⁾ Thucydides, Hist. L. I., 5, 7. testatur, Graios mari accolentes, Cares et Phoenices antiquissimis temporibus latrocinia in mari exercuisse, quod etiam Normanorum, Afrorum, qui vulgo Barbaresci vocantur, Malayorum, aliorumque exemplo probari potest.

⁴⁾ Polyb. L. 1, 80.

⁵⁾ Aristoteles (de rep. II, 11.) vitio dat Carthaginiensibus, quod divitiis opus sit apud illos, ad summos rei publicae honores capessendos.

cusat, milite mercenario rem agente; periculorumque ipse expers, victoriae praemium duplex, imperium ac monopolium sibi vindicat ⁶⁾. Plebes ibi raro lascivit, aut insolescit; civitasque minus agitur tribuniciis procellis, quum, omnium animis ad negotia atque lucrum intentis, otio ac egestati vix ullus locus relinquatur.

§. II.

Imperium ita ubique tenuere optimates ⁷⁾. Nam quamvis primum reges summae rerum praesent, eos tamen e procerum ordine electos fuisse ⁸⁾, inter omnes constat. Regnum enim quamvis a patre plerumque liberis traderetur, firmatum tamen est et procerum consensu et populi suffragiis ⁹⁾. Legum ferundarum potestas inde ab initio penes populum fuit; postea vero regibus aut parti civium commissa. Reges, aut qui alio nomine civitati praesent ¹⁰⁾, auctores ac suasores reperuntur legum ¹¹⁾.

⁶⁾ Polyb. Hist. III. 22, 24. Jam a Carthaginiensibus foederibus cautum est, ne qui Romanorum in Poenorum provinciis commercii paticeps fieret.

⁷⁾ Ut *ἑυπατρίδαι* apud Athenienses, Patricii apud Romanos &c.

⁸⁾ e. g. Romanorum reges; Darius Hystaspis, Magis, qui imperium adfectaverant eiectionis, ex Nobilium ordine ad regiam dignitatem evectus est.

⁹⁾ Thucydides, Hist. I. 1, 13. in Graecia regna primum fuisse hereditaria affirmat.

πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρας πατρικαὶ βασιλείαι.

¹⁰⁾ Huc sacerdotes etiam retulerim, qui passim condendis efformandisque imperiis operam suam navarunt. De Aegypto, ubi sacerdotes procul dubio vetustissima regna constituerunt, vid. quae egregie disputavit Heeren in libro qui inscribitur: *Handbuch der Geschichte der Staaten des Alterthums*, pag. 71. Cf. eiusdem Auctoris *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt*, I, 353 sq. — Diodorus Sic. Bibl. 1, 44 sacerdotes primum in Aegypto regnasse innuit, dum dicit: *ἀρχαὶ δὲ τῆς Αἰγύπτου τὸ πρῶτον θεῶν τε καὶ ἡρώων.*

¹¹⁾ Ita Menes apud Aegyptios deos venerandi et rem divinam faciendi rationem populo

§. 12.

Varia ratio rei publicae administrandae postea a diversis populis observata est, pro ut quamque civitatem, vel coeli locorumque natura, vel peculiare viri cuiusvis ingenium ¹²⁾, vel denique vis hostium cogeret. Haec tamen tria administrationis genera populis inprimis placuisse videntur:

§. 13.

Alii enim liberam nec ullis finibus circumscriptam summae rerum potestatem dominis suis fecerunt; ad quorum numerum Asiae ¹³⁾ potissimum gentes referendae sunt.

§. 14.

Alii vero unius imperio diffisi, liberam rem publicam, vel potius imperium, cuius plures participes essent, praetulerunt; quae quidem civitatis administrandae ratio priscis maris illius, quod nunc vulgo mediterraneum vocatur, accolis inprimis Graecae originis, optima visa est.

§. 15.

Alii denique summam quidem imperii regibus tradidere, ita tamen, ut populi, vel certe procerum auctoritas in comitiis agnosceretur. Germaniae potissimum gentes hac ratione rem publicam administrari voluerunt ¹⁴⁾.

tradidit. vid. Diod. Sic. l. c. Athenienses plura eaque saluberrima instituta ad Cecropem referrebant.

12) Quale erat Mosis, Lycurgi aliorumque. Quamvis enim plures rerum publicarum conditores instituta nonnulla ab aliis populis mutarentur, omnes tamen suae gentis necessitatibus atque indoli se accommodarunt. De Mose vid. quae docte disseruit Spencer in libro de Legg. ritual. Hebraeorum.

13) Asiae nimirum cum occidentalis tum meridionalis. Caeterum lectu digna sunt quae viri docti de origine atque causis despotismi, qui in Asia primum invaluit, adnotarunt. Praeter Helvetium (del' Esprit, 3.) Boulangerium (sur le despotisme Oriental) et Montesquieum (Esprit des Loix, XVII, 5 sp.) vid. Meiners in opusculo: von den Ursachen des Despotismus, im 2ten Bande des histor. Magazins, 193 u. f. S.

14) Regum potestatem limitatam, procerum vero auctoritatem apud Celtas &c. Ger-

§. 16.

Regia potestas primum in Asia crevit, ibique ad nostram usque aetatem invaluit. Premitur ibi a sole acrius terra, uberrimasque paene inculta profert fruges. Segnior itaque hominum animus in mollitiemque pronus domesticis negotiis gaudet: civium vero conditio ac iura vix unquam illis innotuere gentibus. Mox itaque reges, patrum auctoritate posthabita, absque consensu populi regnare et domesticis consiliis rem publicam administrare coeperunt. Quo factum est, ut, quum nemine adversante belligerandi libido illos invaderet, ad arma capessenda populi compellerentur. Condita sunt itaque prima in his terrarum partibus regna multis iisque variis provinciis conflata ¹⁵⁾.

§. 17.

Alia ratione res publica administrari coepta est in illis potissimum regionibus, quae ad mare mediterraneum vergunt ¹⁶⁾.

§. 18.

Viguit ibi floruitque primum mortalium genus. Mitior enim coeli temperies corpora et animos, cum ad labores perferendos promptiores, tum ad vitae voluptates percipiendas aptiores reddit. Accedit orae maritimae longissimus tractus, qui seiunctis inter se gentibus facilius conveniendi, negotiandique potestatem faciebat. Quae quidem, ut alia praetermittam commoda, a natura ipsa his regionibus concessa, mirum in modum vim suam exseruerunt, ad hominum ingenium ita efformandum,

manos haud parvam fuisse, inter alia apparet ex Strabone, Lib. IV, p. 136, qui Celtarum *τάς πλείους τῶν πολιτειῶν ἀριστοκρατικὰς* fuisse affirmat. Apud Germanos de minoribus quidem rebus, (refert Tacitus, de Situ et mor. Germ. Cap. XI.) principes consultabant, de maioribus omnes; ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes praeractarentur.

15) Qualia erant ingentia Assyriorum, Babyloniorum atque Persarum regna.

16) e. g. apud Graecos, Romanos et Carthaginienses.

ut vel ad altissima assurgeret. Oriundae hinc illae civitates, quas adhuc miramur, cum virtutum claritudine, tum vitiorum enormitate, vel nostra aetate nondum aequatae ¹⁷⁾.

§. 19.

Auctis ibi rebus, regia quoque potestas incrementa capere atque invisa esse coepit primoribus civitatis. Ferre etenim nequit altior nobilium spiritus, imperio eiusdem premi, qui princeps tantummodo ordini lectus fuerat. Reges ultro plebi indulserunt; ita nobilium opes frangi posse, regiamque auctoritatem salvam fore rati. Ipsa plebes, serviendo adsueta, parum curat, qui de imperio contendunt; sequitur tamen partes, quae maiorem libertatis speciem praebent. Hinc perterriti patres, de regibus tollendis agere conati sunt. Reges eieci, nomenque deletum; imperium vero mansit.

§. 20.

Quum persuasum esset Atheniensibus, regem vix unquam dignum haberi, qui rem publicam rite administraret, Archonti parere satius duxerunt. Minus terruere Romanum consulares, quam regiae fasces; de imperio tamen nihil mutatum, et lictor cum securibus consuli aequae ac regibus praesto fuit ¹⁸⁾. Atrocissimum illud libidinis exemplum, a regio iuvene perpetratum, haudquaquam stirpi Tarquiniae perniciem attulisset, mulierculam ex plebe compressa. Perdidit rem Tarquinius in proceres saeviendo patriciumque ordinem extirpare conando ¹⁹⁾. Plebes quidem

17) Praeter auctores, qui de decremento atque interitu imperii Romani scripserunt, Gibbonium; Meinersium et alios, iuvabit consuluisse Suetonium, Tacitum et Histor. Aug. Scriptores.

18) Cf. Livius, Lib. II, 1. „Omnia iura, omnia insignia (scil. regiae potestatis) primi consules habuere.“

19) Liv. L. I, 49. Ita Patrum praecipue numero imminuto, statuit nullos in patres legere; quo contemtiore paucitate ipse ordo esset.

Romana operum exstruendorum ²⁰⁾ militiaeque immenso labore exhausta, in regibus expellendis haud impigre patribus opem tulit, qui, regum efficiendorum auctores ²¹⁾, postquam se regiis spoliis ornaverant, severius ferociusque plebi abhinc imperitare coeperunt. Plebes dulcedine libertatis allecta, consulum primum imperio gaudere, ipsisque dicto obediens esse, mox vero ad servitutem redacta ²²⁾, rebellem se gerere coepit, donec post secessum in montem sacrum maximi momenti iura ²³⁾ magistratibus extorqueret. Discrepans a caeteris Laco, eadem ausus, more suo exsecutus est. Regibus enim nomen servatum, potestas vero immutata est ²⁴⁾.

§. 21.

Germanicae originis populi imperium fere nunquam mutavere regium. Libera quidem apud illos res publica, sed procerum ordo iam antiquitus institutus, rexque ex illo creatus est ²⁵⁾. Maior in concilio regis vel principum auctoritas ²⁶⁾, sed imperium in populares fere nullum; quippe venatoribus et dispersis colonis vix imperari potest. Frequentior tamen gens fuit, quam pro locorum asperitate rerumque penuria crede-

20) Liv. I. c. cap. 55. Templum Iovis in monte Tarpeio, foros in Circo, cloacam maximam, condidit.

21) Ibid. Cap. 59. ubi anteire primores civitatis vident.

22) Livius L. II, 21, nuncio de morte Tarquinii allato: plebi cui ad eam diem summa ope inservitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere.

23) Ius primum Tribunos plebis habendi; vid. Liv. L. II, 33.

24) Dionys. Hal. Ant. Rom. Lib. II., XIV. Ὀυδὲ γὰρ οἱ Λακεδαιμονίων βασιλεῖς αυτοκράτορες ἦσαν ὅ, τι βούλοιντο πράττειν, ἀλλ' ἡ γερυσία πᾶν εἶχε τῶν κοινῶν τὸ κράτος.

25) Tacit. de mor. Germ. e. VII. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas.

26) Ibid. XVI. Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti, ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

res. Principes foris ac domi magno comitatu iuvenum gloriabantur ²⁷⁾. Silvis egressi, dum novas sedes quaerebant, procerum quisque comitatum, quam potuit maximum, secum protraxit. Ager ab hoste captus, distribuebatur. Maior principibus pro dignitate portio contigit; hi, ultro largiendo comitibus, quod ipsis inutile esset, militum officia mutuo sibi poposcerunt. Parto hoc modo a singulis in cives imperio, caeteri plerique aut vi subacti sunt, aut communi ab hoste metu sponte in ditionem venerunt. Quum dux, aut rex, quem summae praefecerant, locorum spatio, periculo cominus instante, prohiberetur quo minus comitia haberet, cum primoribus iisque proximis solus rem administravit. Plures etiam civium, novae, eiusque cultioris patriae illecebris capti, in praediis vitam molliter agere, luxurieque diffuere, satius duxerunt, quam publico interesse concilio. Itaque res ad principes rediit.

§. 22.

Omnes, quos modo commemoravimus populi, vicissim principatum orbis terrarum obtinere; Asiae vero gentes primum. Floruerunt enim Assyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum (quos liceat inter Asiaticos referre) ²⁸⁾. Persarum, Indorumque opes. Maxima illa regna saepius a finitimis repentina vi subacta sunt; et, quod solum supererat, Persarum

27) Ibid. XIII. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium.

28) Terra Aegyptiorum ab Asia non nisi angusto isthmo dirimitur. Eam vero anti-quissimis temporibus, quibus Asiae regna efflorescebant, iam cultu atque variis disciplinis viguisse, ex historiae monumentis elucet. Quamvis vero haud probari possit, Aegyptum primos suos incolas, ex Asia accepisse, imo potius Aethiopiae et colonos et vetustissima sua instituta debere, veri simile sit; tamen saepius ex Asia populos immigrasse, vel ea luculenter demonstrant, quae de Hycsis regibus deque Hebraeis, Aegyptiorum annonam haud raro speculantibus, narrantur. Caeterum Africae denominatio, in qua nobilissimum illud apud sacros scriptores *Ophiri* nomen latere videtur, (Cf. Forster, Geschichte der Reisen und Entdeckungen im Norden, B. I, C. 1, S. 11.) senioribus tantum temporibus in usum venit.

imperium, haud magno conatu Graecis succubuit. Unum, quod adhuc floret, Sinensium imperium, communem Asiae cladem effugit, quippe quod situm in remotissimis terrae regionibus, maribus, montibus ac desertis circumseptum, vix aditum praebet potentioris populi exercitibus.

§. 23.

Posthac partes susceperunt Graeci primum, deinde Romani more suo peculiari peragendas. Graecos enim vere dici Macedonas, quis neget, quum iis idem ac Graecis mos et sermo, eademque fuerit disciplina. Quin imo Romanus huc referri potest; mixta etenim gens, e Graecae barbaraeque originis colonis, urbem condidit, mosque Graecus ibi praevaluit ²⁹⁾. Sola Romanorum libera civitas imperio orbis terrarum potita est. Idem conati Athenienses Lacedaemoniique ipsi in ditionem venerunt, altiusque evecta, atque praepollens Carthago, quum Romanum, liberius evagantem coercere auderet, deleta est. Corruit tandem Romani imperii moles, communi gentium fato obnoxia; libertate enim eversa, res publica, iisdem malis atque cladibus, quae Asiae regna opprimerant, obruta, postquam diutius luctata fuerat, Germanis succubuit.

§. 24.

Barbari, (quos dicunt), gentes e Germania potissimum et regionibus septentrionalibus oriundae, iam iam imperitare, et ferro et vi rem gerere. Multa hi condiderunt regna, quorum alia iam dudum interierunt, alia aut florent adhuc, aut languent. Nullum vero illorum Romani unquam imperii amplitudinem aequare potuit: quum Barbari, nullo foedere inter se coniuncti, singulos pari potestate duces sequerentur, praedamque potius ac sedes, quam imperium sibi parare cuperent. Armis primum valuerunt; postea vero artibus ac legibus inclarescere coeperunt; donec, domi militiaeque conspicui, prae caeteris orbis terrarum populis longe excelleret.

29) Dionysius Hal. in Antiqq. Rom. I. I. cap. 5. usque ad finem, huius Libri probat: Romanos fuisse origine Graecos.

§. 25.

Superstes Romani imperii pars, cuius caput Byzantium fuit, nomen potius et literas Romanas, quam dignitatem imperii servavit. Asiae potissimum provinciis firmata, more Asiatico res publica administrabatur; qua de caussa haud immerito Asiaticis adnumerandum est Byzantium imperium.

§. 26.

Asia interim denuo vires recuperavit, Barbaris undique medios eius fertiles campos ingressis. Scythiae enim Arabiaeque indomitae gentes, rerum potitae, priscis iisque effoeminatis colonis adfatim vigoris, ne furoris dicam, inseruere; ita, ut iam maxima iterum in Asia regna exorirentur³⁰⁾: sed quum victor Arabs solus artes coleret; ferocior vero Scythia, postquam urbes, agros, atque imperium sibi paraverat, tenacius circumvagantium populorum mores atque ingenium retineret, factum est, ut Asia ad pristinum splendorem nunquam redire posset.

§. 27.

Quum omnes itaque gentes primum bella gerere cogerentur, detrimenta inde statim rem publicam cepisse, iam supra inuimus. Mox enim singulorum civium auctoritas plus, quam par esset, crevit; quo factum est, ut *leges ferrentur, quae singulorum commodo potius, quam publico inservirent.*

Orta porro est in castris, uti demonstravimus, *morum atrocitas atque lascivia*, quae quidem effecit, *ut cives, domesticae disciplinae haud patientes, ad vim inferendam, et ad discordias disseminandas propensos atque promptos se praestarent.*

Hinc ad pacem domi servandam, seditionesque civiles reprimendas, *saepius hostis externus a magistratibus in patriam vocatus est*³¹⁾. Rebus denique haud raro prospere gestis, omnes iam animos, *imperii augendi amplificandique cupido* invasit. Plura vero eaque graviora mala ex hoc fonte uberissimo promanasse, parte altera huius libelli paucis exponere in animo est.

30) Quale erat regnum Calipharum, deinde ea quae imperia a Dshengisio, Timurlenio, et Baburio, nec non a Turcis condita sunt.

31) Hoc multis iisque luculentis historiae romanae exemplis illustratur.

P a r s I I.

§. 1.

Aucto foris imperio, primum damno esse rei publicae censemus: *quod civitati peregrini et variae conditionis homines immiscentur.*

§. 2.

Victis primum hostibus ager ademptus, militibusque divisus est, priscis colonis aut trucidatis, aut expulsis, aut denique in servitutem reductis; qui quidem pristinus populorum mos fuit.

§. 3.

Quum vero rebus iam profectis prudentius domi res publica administraretur, cautius etiam foris res gesta est, accuratiusque imperio provisum. Victos servare, quam delere maluerunt, quoniam eorum usus in amplificando firmandoque imperio cernebatur; bello captis tantum mancipiorum loco habitis.

§. 4.

Vario vero modo in ditionem venerunt victi. Romani, quos imperandi peritissimos, et *πολιμοτατες* appellaverim, in *ditionem* alios, alios in *societatem*, alios denique in *civitatem* acceperunt. Eadem fere ratione res apud caeteros populos gesta est.

§. 5.

In *ditionem* acceptis agri diique penates servati sunt, et corpus et res familiaris intacta mansit: legibus vero et magistratibus suis non amplius uti licuit. Praetor, quemvis victor populus victis praeesse iuberet, ius dixit, ex legibus quidem victoris, ita tamen, ut victis non eadem iura essent, ac *civibus*, neque ulla in administranda re publica pars illis

relinqueretur. Tributum praeterea pendere, atque stipendia facere coacti sunt subditi, quorum loca munita aut dirui, aut praesidiis et coloniis firmari victor iussit. Accidit id illis potissimum gentibus, quibuscum ad internecionem usque pugnatum fuit.

§. 6.

Civitati hoc modo in potestatem redactae *Provinciae* nomen inditum est a Romanis; qui, strenue Romana adhibita disciplina, in administrandis provinciis, ita fregerunt suae ditionis gentium animos, ut plerisque illarum ne sermo quidem patrius relinqueretur.

§. 7.

Proximi his videntur Carthaginenses, de quorum institutis pauca ad nos pervenerunt; deinde Arabes, qui magis superstitione fanatica impulsus, quam consilio perducti, easdem fere partes peragendas in se receperunt.

§. 8.

Nostra aetate, nonnisi Indorum quibusdam gentibus, quae alieno, Anglorum potissimum Batavorumque imperio parent, et coloniis in America sitis ab Hispanis Lusitanisque his fere artibus imperatur.

§. 9.

Foedus ictum est cum aliis, quorum opes quidem fractae, haud omnino tamen eversae erant, ita vero, uti victor e re publica censebat. De iure magistratibusve illorum nihil mutatum est; milites plerumque imperati, qui Sociorum nomine victoris imperium auferent. Varia tamen illorum conditio fuit, sicuti pro viribus utrimque fieri poterat.

§. 10.

Hunc in modum usi sunt Romani sociis Latini nominis aliisque; Graeci coloniis suis; sociorumque nomine civitates Doricae gentis Lacedaemoniorum, Ionicae vero Atheniensium partes plerumque secutae sunt ¹⁾.

1) Ex Thycydidis Hist. Lib. I, 95 sq. aliisque scriptoribus adparet, Lacedaemonios

§. 11.

Simili modo Carthago in caeteras Phoenicum colonias imperium exercuisse videtur ²⁾. Imo nostra aetate priscum illum morem socios habendi adhibendique a Francogallis denuo usurpatum esse, neminem fugit.

§. 12.

Merito his adnumerandae sunt pleraeque gentium, quas Asiae regna sibi subiectas habuere. Persici, ut hoc unum commemorem, celeberrimi imperii potestas in sociis magis, quam in suis provinciis posita fuit. Nam, quamvis Satrapae summae praessent, qui tributum exigerent, et ad militiam faciendam subditos compellerent ³⁾, iis tamen suos regulos habere suisque iuribus atque magistratibus uti, plerumque licuit.

§. 13.

Civitate donati sunt alii; ut eadem conditione essent qua victores. Rarius id olim victis contigit, quam nunc; mitiorque in eo spectatur nostrae aetatis indoles, quod cives appellare haud abnuamus eos, quos modo pro hostibus habuimus.

§. 14.

Mos ille Graecis, antequam Macedonum florerent opes, nunquam innotuisse videtur, quippe quibus generis nobilitate fretis, caeterae gentes Barbarorum nomine contentui essent. Ne consanguineis quidem populis civium iura committere fas visum nobilioribus Graeciae civitati-

Atheniensesque sociis imperasse. Idid. L. III, 86. Dorienses civitates Lacedaemoniorum; Jones vero Atheniensium in Sicilia Socios fuisse dicuntur.

2) De Carthaginensium re publica egregie more suo disputavit Heeren, (Ideen 1. in primis sectione 2 et 6.) qui etiam ea accurate collegit, quae coloniarum Carth. administrationem earumdem officia erga dominos spectant.

3) Cf. Xenophon, Oeconom. C. IV. §. 5 et 1q. Exponuntur ibi officia Satraparum in provinciis.

bus; 4) nec nisi coloniis, a communi patria remotioribus, peregrinis immisceri licuit.

§. 15.

Macedonum Alexander primus Asia subacta, victori ac victo aequè imperare coepit, utroque scilicet pari honore habito; eo sine dubio consilio, ut omnes suae ditionis populos sibi conciliaret, imperiumque recens conditum firmaret, stabiliretque. Matutius vero, quam expectari par erat, fato extinctus, incepta ipse perficere nequivit: exemplum tamen successoribus imitandum reliquit.

§. 16.

Quum vero Macedones, nimis in hac re praecipites sedem imperii in Asiam transferrent, factum est, ut Graecum ingenium ab Asiaticarum gentium indole vinceretur.

§. 17.

Cautius rem gessere Romani, qui, quamvis inde ab initio multos civitate donarent; hoc tamen spectabant, ut illud beneficium primum non nisi in consanguineos populos conferretur; caeteris gentibus pro sociis aut subditis habitis. Postea vero, si qua populus Romana disciplina satis imbutus esse videretur, in civitatem eum accipere haud dubitarunt. Ita primum socios Latini nominis, deinde Italiae gentes, omnes denique suae ditionis populos cives esse iusserunt.

4) Vid. Dion. Hal. L. II. 17. Τὰ δὲ Ἑλλήνων ἔθνη παρὰ ταῦτα ἐξετάζων, οὐκ ἔχω πῶς ἐπαινεῖσαι τὰ τε Λακεδαιμονίων, καὶ τὰ τῶν Θηβαιῶν, καὶ τῶν μέγιστον ἐπὶ σοφίᾳ Φρονούντων Ἀθηναίων οἱ φυλάττοντες τὸ εὐγενές καὶ μηδὲν μεταδίδοντες εἰ μὴ σπανίως, τῆς παρ' ἑαυτοῖς πολιτείας.

§. 18.

Devictis populis civium iura aut concessa, aut negata sunt; utrumque vero, ubi incaute agebatur, rei publicae detrimento fuit.

§. 19.

Victi enim deterioris conditionis, quam cives esse iussi, patriae quasi expertes sibi videntur, et nullam nisi vi compulsi, rei publicae curam suscipiunt, ut potius imperio infensos se praebcant.

§. 20.

Nec melius interdum imperio provisum est, ubi victi in civitatem accipiuntur. Admodum enim difficile factum est, variae originis gentes, lingua et ingenio longe inter se discrepantes, odiis praeterea mutuis, uti solet inter vicinos, flagrantibus, conciliare, et patrio more abrogato, cunctos iisdem legibus adstringere.

§. 21.

Minus, arduum atque difficile est, si populus, penes quem imperium est, suae ditionis gentibus numero et ingenii cultura praestat; qui, ubi haud praecipitanter agit, neque omnia suo arbitratu statim constituere cupit, facile efficit, ut mos alienus sensim sensimque introducatur; multitudo enim incultior maioris et praestantioris civium partis sequitur exempla.

§. 22.

Accidit quidem interdum, ut gentes, et multitudine, et disciplinis liberioribusque artibus superiores, ab hoste subigantur longe inferiori, quam belli fortuna sit anceps, et de fato pugnantium vel uno momento decernatur; sed, quam arduum sit, populum, quem vi armorum superaveris; ita in potestate retinere, ut iisdem, quas civitas victrix tulit legibus pareat, eiusque institutis animo benevolo se accommodet, sexcentis exemplis satis superque docet historia. Nihilominus saepe fit, ut gens cultior atque efformatior ita se submittat rudiori victori. Civitas enim, quae diu artes summo opere coluit, dum luxuria, uti plerumque fit, effoeminatur,

dominos alienos ferre raro recusat, dummodo singulis more consueto, molliter ac quiete vitam agere liceat. Accedit, quod ipse victor, primum ferocior, consuetudine mitescit, et victorum mores sequendo, se metipsum victis adcommodat ⁵⁾.

§. 23.

Animis ita mitigatis atque conciliatis, quamvis conservandae rei publicae hac ratione prospiciatur, incommoda tamen nonnulla etiam hinc in cives ipsos redundant. Diversis enim terrae regionum incolis suum cuique a natura insitum est ingenium, quod quidem alieno imperio et vi aliquamdiu mutari, penitus tamen nullo modo deleri potest, quid quod vel postremo ipsis victoribus obtruditur ⁶⁾.

§. 24.

Quo maiori studio gens aliqua artes colit vitaeque domesticae amoenitatibus gaudet, eo felicius tutiusque viam suam exserit in mutandos dominorum alienigenarum mores; quo vero ferocior gens est, quae imperio potitur, eo pronior in lasciviam luxuriamque evadit. Populus enim victor, qui artes contemptui habet, nullaque ingenii excolendi exornandique studio tenetur, saeva cupidine, vitae delicias appetit, voluptatumque illecebris se capi patitur.

5) Ostrogothi in Italia, gens primum bellicosa et ferox, inob devicti populi mores ad seiscere et ad mollitiem delabi coepit.

6) Phlores scripserunt de vi quam coeli, aeris regionumque diversitas in ingenium moresque hominum habeat, inter quos hic nominasse sufficiat D. Falkonerum (Bemerkungen über den Einfluss, des Himmelsstrichs, der Lage, natürlichen Beschaffenheit und Bevölkerung eines Landes auf Temperament, Sitten, Verstandeskkräfte &c. aus dem Engl. Leipz. 1782, 8.) Wilsonium (Observations, relative to the influence of Climate; Lond. 1780, 8.) His accensendus est Montesquieu, Esprit des Loix, XIV, 2. Hume, Essay, XXIV. Irwing, Erfahrungen über den Menschen III, 304 ff. et alii.

Tutius firmisque sibi impeditum parant populi liberalium artium haud omnino expertes. Dum enim, iis, quibus victi inclaruerant, artibus, praestare famamque sibi quaerere student, quo minus statim luxuria diffuant, tempestive quodlibet amant.

Neque id, quod vulgo occidunt nonnulli, ingenii scilicet culturam, studia humanitatis atque vitae politioris amoenitates, morum integritati semper nocuisse, animique pristinum vigorem statim et ubique enervasse, ex historia demonstrari poterit, quae sabinde docet, victos, hoc modo moratos atque comparatos dominis, quibuscum studia sua communicarent, parum infensos fuisse.

Firmissimum plerumque est imperium illud, quod populi, non propterea quod ab omni ingeniorum cultura alieni, haud tamen omnino exculi, in gentes rudiores et ad modum incultas exercent. Si quidem subditi, dum rerum amplexibus voluptatibusque incitamentis non statim franguntur, neque in molliem cadunt, augent gentis dominantis potestatem, atque sustentant regni maiestatem. Accedit, quod populi barbari atque feroces, dum iugum sibi impositum haud aequo animo ferre solent, certe fide ab indito, dominos non raro cogunt, ut paulo asperius in illos stant, legumque severitate prospiciant, ne imperium, acre acceptum,

7) Nota sunt, quae ingeniose adversus disciplinas, artes elegantiores et cultioris vitae instituta disputavit Iohannes Jacobus Rousseau, in libro, cuius est titulus parisiis. Les hommes mesdelaussà desuere, réponse au Yano mode de vivre de M. de Condorcet, sententiam deo referre tendunt, hic tantum, moere leges historiam, quicquam probare, morum depravationem plerumque serpentem, fuisse antiquam culturam, id vero necessario et ubique locum habiturum esse, hoc neque potest, neque debet, demonstrare historia. Posset sibi hoc arrogare si rerum humanarum nexum, hinc usque, ut aeta dicam, Dramatis *καταρροφύ* omnino expedita ante oculos iaceret.

detrectent; quo fit, ut domini, intentiores atque alacriores facti, prohibeantur; quo minus et ipsi cito ad luxuriam morumque depravationem delabatur.

Suas artes atque disciplinas Romanis perdomitis Europae incultioris gentibus impertivit; postquam vero Asiam suae potestati subjecerat, et ipse Asiatico more vivere coepit.

Neque Graecum ingenium effugit hanc morum Asiaticorum contagionem. Graeci vero, quum literis politis atque exculsi essent, velut imperii sui monumentum, doctrinam linguamque suam reliquerunt. Nec illos unquam hac ratione aut aequavit, aut certe superavit Romanus⁸⁾. Hinc etiam factum est, ut, ubicunque locorum sermo Graecus invaluisset, idioma latinum haud inolesceret. Quid, quod? quum sedes imperii Byzantium transferretur, sermo latinus postremo vel in foro extinctus est.

§. 30.

Barbarae contra gentes, provinciis Romanorum occidentalibus occupatis, ubicunque cum victis longe se cultioribus coaluerant, patrium sermonem mutavere. Alia eaque ab hac quam maxime diversa ratio Arabum cernitur, qui, artium haud omnino rudes, antequam fines suos egredierentur, ut orbem terrarum, armis subactum, doctrina sua de Deo uno eiusque propheta imbuerent, superstitione inprimis urgente, sua lingua uti omnes fere suae ditionis gentes coegerunt.

8) Ingenium gentis Romanae, quod ad magna atque magnifica adspirabat rebusque in multo genere ingentibus delectabatur, haud omnino mutauerat, quin Graecorum artes atque disciplinae longo temporis spatio, adhibitoque indefesso labore, excultae, Romanos, in firmando amplificandoque imperio occupatos, nimis cito allicerent, ut ne dicam, opprimerent. Cf. Merian über den nachahmenden Geist der Lat. Poëten in seinen Schriften vom Einfluß der Wissenschaften auf die Dichtkunst, II, 184.

Amplificatio temporum aegistorum non plus est, qui res publicam in proxiis administrant. Qui, ut magna auctoritate nupiantur, necesse est, partim ad coercendos subditos, qui modo in potestatem redacti sunt, partim ad repellendam vim externam. Alias imperium tuum non potest populus. Armorum vi subacta gens, certe primum non nisi armis in potestate teneri potest. Magistratus igitur, qui provinciae praeest, militibus stipatus esse debet; quoque citius rem gerat necesse est, ut domi militiaeque summum imperium in provincia teneat.

§. 33.

Quamvis vero haud, quaquam libera ac non limitata potestas provinciarum Praefectis concedatur, tamen, quum gravia nonnulla eaque inprovisa in provinciis nonnumquam accidere possint, Praefectorumque eorum sit, videre, ne quid detrimenti res publica capiat, necesse est, ut si ipsi malis inopinatis iisque quam maxime urgentibus subveniant, medelamque, prout e republica censent, adferant. Multa itaque pro ipsorum arbitrio ac libitu interdum geruntur.

§. 34.

Numero provinciarum aucto, crescit praefectorum auctoritas. Maior potestas tribuenda est iis, quibus provinciae a sede imperii remotiores obveniunt; plurimum enim ibi periculi imperio impendet. Legitime partem auctoritatem, ipsi mox augent, quum procul sint ab iis, penes quos summa imperii est. Pessimo exemplo haud raro caeteri deinceps trahuntur.

§. 35.

Fert enim natura humana, ut, ubi potestas data fuerit, quilibet fere homo ad opprimendum alterum, pronus evadat⁹⁾. Quid, quod? avaritia,

9) Experientia hoc satis superque docet; de causis hic non agere licet. Explicet,

rapacitas aliaeque sordidae animi cupiditates adeo mentem obcoecare solent, ut maior pars hominum, non nisi privati commodi causa, publica negotia curet. Hinc illa latrocinia illaeque exactiones, a Praefectis in provinciis commissae, hinc crebra illa atque horrida, superbiae crudelitatisve exempla, quorum mentio fit, cum in antiquioribus, tum in recentioribus historiae generis humani monumentis. Et quamvis plures, postquam provincias administraverant; imo potius opprresserant, domum reversi, repetundarum incusarentur, tamen divitiarum, quas congesserant, ope, aut poenas, quas meruerant, omnino non dederunt; aut pecunia mulctati, partem tantum rapinae reddere coacti sunt. Alia eaque atrociora crimina, iudicis ¹⁰⁾ auri sacra fame capti, cognitionem plerumque effugerunt.

§. 36.

Provinciis ita avaritia et luxuria Praefectorum exhaustis, oriuntur odia subditorum in dominos, perfidia, rerum penuria, fames, segnities, aerarii publici inopia, seditiones ac discordiae civiles, quibus maxime, Asiae vero praecipue, regna, laborant.

§. 37.

Ad restituendas res, iam iamque periclitantes, summa rerum iterum Praefectis committenda est. Iudiciorum itaque vectigaliumque administratione una cum summo exercituum imperio coniuncta, leges ferre, aut latas abrogare; poenas irrogare, aut remittere, et vectigalia nova imponere, prout tempus ac necessitas postulat, Praefectis conceditur, quippe quum

cuiuscunque libuerit, hanc rem vel ex Orientalium doctrina de duobus principiis, vel ex Christianorum dogmate de peccato originali, vel denique ex eis, quae Kantius docuit de malo radicali.

10) Multis cum ex antiquiori tum recentiori historia exemplis ea, quae in §. prolata sunt, probantur. Qualem tyrannidem in subditos interdum exercuerint Romani Praesules aut Propraetores, vel ex una Ciceronis oratione in Verrem satis liquet. Neque necesse est, ut novissima illa Hastingsii Imperii exempla in memoriam lectorum revocentur.

vix ulla alia ratione aerario exhausto subveniri, et provincia, intestinis procellis concussa, pacari posse videatur.

§. 38.

Rebus ita se habentibus maximopere cavendum est summis rei publicae magistratibus, ne liberum imperium, Praefectis per tempus, ad res constituendas concessum, iis prorogetur. Semel enim summa potestate in provinciis instructi, Satrapum more plerumque agere pergunt.

§. 39.

Mox imperata facere ipse negat Praefectus; clam primum, causam aliquam inceptis praetextens: palam deinde, si licet, armis imperium sibi vindicans.

§. 40.

Bellum ergo gerendum est cum subdito. Cernitur iam in eo fracta imperii maiestas.

§. 41.

Primum itaque indicium ex quo appareant, res inclinari, esse censemus: si Praefectorum provinciarum potestas in tantam molem crescit, ut illi de imperio cum summo rei publicae magistratu armis contendere queant.

§. 42.

Stat paulo diutius res publica, cui sat roboris viriumque superest, magistratus, imperium detrectantes, ad obedientiam cogendi.

§. 43.

Poenis afficere noxios solum non sufficit; res in integrum restituenda est, summaque cura cavendum, ne successor in provincia eadem conari possit. Mulctae enim exemplum, imo capitis supplicium de aliis sumtum neminem unquam deterruit, quo minus idem periclitaretur.

§. 44.

Peior res, indicioque est, praecipue iam ruere imperium ad occasum, ubi summus rei publicae magistratus cum Praefectis seditiosis de pace agere cogitur.

§. 45.

Quicumque Satrapa imperium spernens nonnisi perniciosissimas rei publicae pacis conditiones ferre potest, omnia enim, quae ad augendam Satrapum auctoritatem spectant, summi imperii dignitatem imminuunt.

§. 46.

Parta ita maiori potestate, quam per leges licebat, Satrapes primum magistratum ad dies vitae obtinere, heredibus mox relinquendum suis; et paulo post ius belli et pacis affectarunt.

§. 47.

Eadem fere ubique conati sunt Satrapes; altius tamen crevit illorum potestas in illis regnis, quae multis iisque variis provinciis constabant ¹¹⁾. Ubi vero populus, penes quem imperium erat, caeteris gentibus numero praestabat, aut summus rei publicae magistratus, imperium legitime hereditate acceptum tenebat ¹²⁾, Satrapum audacia facilius aut perdomari, aut iustis finibus coërceri potuit.

§. 48.

Incolae provinciarum eiusdem originis, quam habuit populus imperans, auxilium ferre Praefecto defectionem minitanti plerumque recusant. Quamvis enim illi haud raro, duce suadente aut compellente, et arma caperent, et bellum civitati inferrent calamitosum, tamen, inter discordias civiles, quum de re publica conservanda desperarent, ut civitati iam vacillanti subveniretur, pro sustentando tuendoque imperio, quam ut defectionem patrent, seiunctumque civitatis corpus haberent, armis se accingere maluerunt; quo etiam factum est, ut animi, metu ab externo hoste, plerumque reconciliarentur.

§. 49.

Provinciales contra subditi, alienae originis, populo penes quem im-

11) Ex his imprimis apparet, cur antiquum Persarum regnum, quamquam haud adeo male administratum, uti plerique volunt, tam cito collapsum interierit.

12) Inter laudes Monarchiae hoc non praeteriri debet silentio.

perium est, eiusque imperio infensi, Satrapum incepta saepe secundant. Obediendo enim adsueti atque a dominis priscis oppressi, impigri illi procedunt ad mutandos dominos; quum sibi persuasum habeant, suam conditionem vix peiorem futuram, si adversa forte utantur fortuna; sin minus, ex servitute se emersuros pristinamque libertatem recuperaturos esse.

§. 50.

Milites ad sententiam perducere haud difficile est, quum plerique ex provinciis conscripti sint; indigenae vero sponte popularium, caeteri, donis beneficioque conciliati, ducis sequantur partes.

§. 51.

Omnium optatissima potestatis augendae occasio Praefectis provinciarum oblata est, ubi summus rei publicae magistratus per tempus vitae creabatur.

§. 52.

Amplificato imperio plurimum valent in comitiis, qui exercitiis praesunt. Quum vero potestas in milites plerumque in provinciarum Praefectis posita sit, illorum suffragiis munitus esse debet, qui summum rei publicae magistratum ambit. Praefecti itaque idoneam occasionem nacti rebus suis consulendi, praemia auxilii lati quam maxima cuique novo magistratui recens creando extorquent.

§. 53.

Accidit saepe, ut, quum plures una summum magistratum adfectarent, horum alter, Satrapum, vel procerum suae factionis auxilio fretus, armis de imperio cum altero contenderet; quod iterum indicio esse consemus, opes rei publicae iam inclinari. Imminuitur enim hisce contentionibus summi imperii vis atque maiestas, imperiumque ipsum aut dividitur, ita ut alii aliis dominis pareant, aut ex Praefectis nonnulli, sine consensu summi rei publicae magistratus, in provinciis regnare conantur; aut hostis externus, inter tumultus civiles remotioribus provinciis potitur.

§. 54.

Omnium fere imperiorum ruinam Praefectorum provinciarum nimia potestas seditioesque praeiverunt. Nam, ut ea praetermittam, quae de Assyriorum Babyloniorumque opibus, fabulis passim exornata, traduntur, Persarum Parthorumque regna abnormi Satrapum potestate laborarunt. Magni Alexandri imperium statim post mortem conditoris a Praefectis provinciarum diremtum; eodemque modo Seleucidarum regnum a Satrapis spoliatum est. Crebras seditioes a Romanorum Praefectis serioribus imperii temporibus, in provinciis motas, saepiusque ibi atque in castris Augustum creatum fuisse, neminem fugit. Arabum imperium iisdem procellis perturbatum, imo nostra aetate Mungalorum in India opes hoc modo concussas esse, quis est quin sciat. Versatur ante oculos Turcarum praepollens quondam imperium, Satrapum audacia eorumdemque rapacitate quassatum atque fere eversum. Quot enim Satrapae, tot singuli Tyranni imperium liberum atque atrox exercent in provinciis pervastatis ac paene desertis. Summo ibi magistratui, neque coercendi minorum provinciarum Praefectos, neque exterminandi latronum greges, vel urbi ipsi, capiti imperii, obsidionem minitantes, vis atque potestas ulla relicta est. Scythicum istud imperium more Asiatico conflatum atque constitutum, malis ex Asia oriundis laborat; ita ut dubium non sit, quin tamquam Europae inutile pondus a finitimis aliquando evertatur.

§. 55.

Neque recentioribus temporibus haec mala omnino evitari potuerunt. Ubiunque enim procerum ordo ad Satrapum potestatem assurexit, opes etiam rei publicae inclinatae sunt. Periit ita Polonorum amplissima civitas, et truncum Germanorum imperium, divisum atque spoliatum languet.

§. 56.

Amplificato porro imperio, crescit metropolis, caput imperii. Vectigalia enim provinciarumque opes ibi confluunt; sedes imperii, summique

magistratus, penes quem honores atque divitias distribuendi potestas est, ibi collocatur. Proceres itaque civitatis, et omnes fere, qui rem publicam capessere, rem suam familiarem augere, aut certe alia ratione rebus suis consulere cupiunt, ibi congregantur. Oriuntur inde otium atque luxuria, voluptatum deinde atque pecuniae aviditas, quae quidem necessario in administrandam rempublicam perniciem afferunt.

§. 57.

Urbs itaque, quae caput imperii est, dum provinciarum opibus exstruitur, ornatur atque amplificatur, divitiis atque multitudine mox inter caeteras imperii urbes eminent, ita, ut postremo vel summo magistratui legem ferre possit; quod saepius factum esse vel antiquiorum, vel recentiorum potissimum temporum historia docuit.

§. 58.

Milites mercenarios, praesertim ubi civibus numero longe praestant, rei publicae detrimentum afferre, gravissimis quoque exemplis probatur.

§. 59.

Milite vero mercede conducto usae sunt civitates, aut necessitate coactae, ubi imperium ulterius auxerant, quam ut civium ipsorum armis tueri possent; aut lucri cupiditate, perductae, ut caverent scilicet, ne cives militando a negotiis quaestuosis abducerentur; aut denique mollitie perversae, ubi scilicet civibus effoeminatis, nec robur nec animus supererat ad arma capessenda.

§. 60.

Quocunque vero modo civitas per milites mercenarios rem gessit, damnum gravissimum ubique sibi intulit. Miles enim mercede conductus non nisi lucri causa militiam facit, rei publicae imperiique quod defendit, nulla ratione habita. Pretio venalis signa sequitur quam diu stipendium persolvitur: aerario vero exhausto, aut maiori per hostem pretio oblato vel ducem et signa deserere, vel ad hostem transfugere haud nefas duci-

tur; quo fit, ut res publica, vel in summo rerum discrimine militum auxilio plerumque careat. Idem accidit post magnam in bello cladem acceptam; exercitu enim amisso, statim, uti tempus postulat, novus comparari non potest; quippe aut cives omnino desunt, aut ubi adsunt, disciplina haud imbuti, rei que militaris ignari, patriam defendere nequeunt. Saepius itaque civitas, hac ratione rem gerens, de summa rerum periclitatur. Milites contra mercenarii, hisce exemplis edocti, vires atque robur imperii penes semetipsos esse, mox rebelles se gerere non dubitant, ita ut magistratibus rei publicae sedes, honores atque praemia, vel armis haud raro extorqueant ¹³⁾.

§. 61.

Indicio itaque esse censemus, opes rei publicae decrescere, ubi exercitus maxima ex parte e peregrinis mercede conductis constat. Praecipitem vero ire ad ruinam civitatem, facile praesagiri potest, ubi mercenarii praemia, honores atque partem in re publica administranda suscipiendam, armorum vi sibi parant.

§. 62.

Fractum atque concussum est Carthaginensium imperium militum mercenariorum audacia; saepius enim ab illis seditiones motas, illorumque aviditate atque perfidia provincias amissas esse, neminem fugit. Quid, quod? Carthagini bellum inferre, urbem ipsam oppugnare ausi sunt; et partem abfuit, quin celeberrima civitas suis mercenariis succubuerit.

§. 63.

Civium armis potissimum freti, Romani Carthaginem totque alias gentes subegerunt ¹⁴⁾; amplificato vero et ad summum potentiae fastigium

13) Quae hoc loco de militibus mercenariis dicta sunt, luculentissimis historiae exemplis probari possunt. Vocabulum vero „miles mercenarius“ sensu strictiori sumendum esse, ex totius orationis serie apparet. Neque cogitandum est de exercitibus nostris, qui maxime civibus constant.

14) Haec potissimum de Romanorum exercitibus praedicat Polybius L. VI, 51.

evecto imperio, militiam facere cives amplius voluerunt. Provincialibus primum, deinde barbaris, iisque peregrinis gentibus, mercede conductis imperium defendendum tuendumque tradiderunt. Strenue hi primum, dum pauci legionibus intermixti erant, ac probe rem Romanam tuebantur; numero vero illorum aucto, insolentius se gerere coeperunt; in fines denique recepti, imperio ipsi potiti sunt.

§. 54.

Aliud militum genus perniciosissimum saepe rei publicae evadit. Omnibus fere temporibus praetorianae cohortes fidem ac sacramentum crebrius violarunt, quam milites mercenarii.

§. 55.

Interdum etiam res publica detrimentum cepit, ubi patrius numen supremum colendi mos mutabatur.

§. 56.

Damnum rei publicae non attulit, mutata religio, uti luculenter historia demonstrat, dum novus cultus repente in omnibus aut plerisque certe provinciis imperii, auctoritate summi magistratus introducebatur; quamvis enim res interdum inde ab initio vi perageretur, novus tamen religionis cultus sine ullo fere rei publicae detrimento praevaluit. Quod tamen nunquam accidit, nisi, ubi populus norma omnino definita atque efformata supremum numen colendi carebat, aut sibi persuasum habebat, nova sacra suis longe praestare. Christianismus ita primum apud plerasque Europae gentes promulgatus rei publicae non offecit.

§. 57.

Nocuit vero civitati, si qua pars tantummodo civium novum religionis cultum; absque consensu magistratuum, amplectabatur, altera vero pars patrio more sacra facere perseverabat. Statim enim ortae sunt discordiae; et quum viribus sibi cives pares essent, armis de rebus divinis contendere plerumque conati sunt; quoniam illi, qui prisco more supre-

num numen colebant, alteram eamque dissentientem civium partem haud raro pro seditiosis habebant; nec non summo opere in eo elaborabant, ut pro pristino dogmatum tenore, legibus semel receptis adstringerentur. Quo factum est, ut non solum odiis mutuis se persequerentur, sed etiam res publica ipsa divideretur, ita, ut utraque pars suum quasi civitatis corpus haberet.

§. 58.

Multum fecerunt, ad labefactandas Germanorum opes bella inter ipsos religionis causa gesta, illorumque discordiae fregerunt vim atque maiestatem imperii, uti vel ipsa pax Westphalica docet. *Iisdem* procellis Helvetiorum res publica concussa est, et Francogallorum imperium, diu rerum divinarum causa diremtum, nonnisi deleto Huguenottorum corpore vires recuperavit.

§. 59.

Quae modo protulimus tantummodo valent, de iis civitatibus, ubi pars civium sacrorum causa seiuncta a caeteris civibus iura sibi paravit, atque tuetur; ubi vero cuilibet civi libera potestas supremum numen more suo colendi facta est, civitati non solum non offecit, verum potius profuit.

Hac exposuisse sufficiat. Restant quidem aliae *causae* atque *indicia*, quae civitatum ruinam praeiverunt, quae partim ad internam rei publicae formam, legum ferendarum rationem, vectigalium administrationem, aea alienum publicum, remque militarem spectant, partim vero ad externa; rationem nempe, res cum alienis gentibus tractandi, pertinent; quum vero eiusmodi exercitationibus academicis fines sui praescripti sint, fusius hac de re, in alio opusculo mox edendo, et quidem sermone vernaculo, agere apud me statui.
